Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-568866-p0001-8

Tomus XIII
Miscellaneorum Philologicorum.

68. 69

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

SUPER PSALMUM IIO.

Quam

Permissu Amplissimi, & Spectatissimi Facultatis Philosophicæ Senatûs

PRÆSIDE

M. JOHANNE BARTHOLOMÆO Bechmann/

Publicæ censuræ submittet

NICOLAUS Wolwitz/
Rudolphstadio-Thuringus.

JENÆ
Typis CASPARI FREYSCHMIDII
ANNO M. DC L.

Th. I.

QVod attinet argumentum Psalmi 110. *de eo Judæis cum Christianis non convenit; imò inter ipsos Judæos de eo non exiguus dissensus intercedit. Nos, ut operam compendi-faciamus, unius atq; alterius Ebræi interpretamentum, genuinamq; & germanam hujus Psalmi mentem levi brachio tangemus.*

Th. II. Antiqvissimos Rabbinos Psalmum hunc de Abrahamo explicâsse, testatur R.D.Kimchi, *cujus verba hæc sunt:* זה המזמור פרשוהו רבותינו זכרו לברכה על אברהם אבינו כשיבא להלחם עם הארבע המלכים ופירושו אתה כהן לאל עליון: Psalmum hunc explicant Rabbini nostri, piæ memoriæ de Abrahamo Patre nostro, cùm exiret adpugnādū cū qvatuor Regibus; explicatio autē ejus hæc: Tu es sacerdos Dei Altissimi. &c. *Hisce astipulatur* Rabbi Salomō Jarchi *statim ab initio hujus Psalmi:* רבותינו פרשוהו באברהם אבינו ואני אפרשנו כדבריהם: Rabbini nostri exponunt eum de Abrahamo Patre nostro; & ego eum sic explico.

Th. III. Ab his dissentit R. Aben Esra, *qui eum non de Abrahamo, sed Davide exponit, uti ex seqventibus liquet:* נכון לפרש זה המזמור על אברהם על דברתי מלכי צדק רק ישקה על נו ציון שהיתה עיר דוד Potest hic Psalmus exponi de Abrahamo, quoad illud, secundum ordinem Melchizedek; tantummodo durum est de eo exponere vocem Zion, quæ urbs Davidis fuit. *Et paulò post* זה המזמור חברו אחר מהמשוררים על

על דוד Hunc Pſalmum compoſuit unus ex Cantoribus de Davide. *Et rurſus ſubnectit* וחובר זה המזמור כאשר נשבעו אנשי דוד לאמר לא תצא עמנו במלחמה: Compoſitum eſt hoc canticum, cum jurarent Viri Davidis dicendo: Ne egrediaris nobiſcum in bellum. *Cum* R. Salomone *facit quoq;* Kimchi *dum ad hunc Pſalmum ſic annotat:* והנכון לפי דרך הפשט לפרש המזמור על דוד שאמרו אחד המשוררים עליו Commodè hic Pſalmus ſecundum ſimplicem ſive literalem ſenſum exponi poteſt de Davide, quem quidam ex Cantoribus de eo dixit.

Th. IV. Sed neutram interpretationem textui analogam eſſe, certo certius eſt. Quòd enim Pſalmus hic nec de Abrahamo, nec de Davide; ſed de Chriſto agat, clara & omni exceptione majora Novi Teſtamenti loca ſatis evincunt. Nos ut paucis teſtimoniis rem obſignemus, unum atq; alterum adſcribamus. Principem autem locum tenet locus Matth 22. v. 44. 45. 46. *ubi ipſe Salvator noſter ex Pſalmo hoc juratos ſuos adverſarios, Phariſæos, cõfundit, quando ſic argumentatur: Si Meſſias eſt Filius Davidis, eum Dominum appellare non poteſt, Sed appellavit Dominum. E. Non eſt Filius Davidis. Ex quo videre licet, etiam illo tempore Pſalmum hunc â Judæis non aliter, quàm de Meſſia intellectum fuiſſe; Aliàs enim Chriſto reſpondere & conſequens negare potuiſſent. Jungamus Chriſto Petrum, qui itidem canticum hoc in prima concione* Act. 2 v. 34. 35. *de Chriſto interpretatur. In veſtigia Petri pedes quoq; ponit Paulus, uti videre eſt ex* 1. Cor. 15. v. 25. *Idem confirmat Epiſtola ad Ebræos, quæ probatura, quòd Chriſtus verus Deus & Sacerdos noſter ſit, etiam ex hoc Pſalmo argumenta depromit; uti luculenter ex* c. 1. v. 13. c. 7. v. 17 *pateſcit.*

Th. V. Ac.

Th. V. Accedit insuper, quod hoc Psalmo ejusmodi Rex describatur, qui non olim Rex, sed etiam Sacerdos fuit; id quod in Davidem quadrare, nemo, cui sanum synciput, adserere conabitur. Refragatur denig; huic sententiæ Judæorum, quod Rex quem Psalmus noster delineat, ad dexteram Dei sedere ejusq; regnum in æternum duraturum fore, dicatur; quod utrumq; de Davide affirmare temerarium & alienum esset.

Th. VI. Manet igitur, quod Psalmi nostri argumentum ad neminem alium, quàm ad Christum referri debeat. Et hanc ipsam opinionem Veterum quorundam Rabbinorum fuisse, colligere est ex verbis R. Joden, *cujus testimonium* Munsterus *super hunc Psalmum adducit: Ille autem in nomine* Rabbi Hija *super* Psalmum 17. *sic scribit:* אמר לעתיד לבא הקדוש ברוך הוא מושיב למלך המשיח לימינו שנאמר נאם יחוה לאדני: Futurum est, ut Deus sanctus & benedictus collocet Regē Messiā ad dexteram suam: sicuti dictum est: Dixit Dominus Domino meo &c. *Idem* Munsterus *allegat* R. Isaac Arama, *cujus verba super* Genesin *hæc sunt:* לא מצינו אדם ונביא שיתנבא ילידתו קודם ילידת אביו ואמו כי אם משיח צדקנו ולזה רמז מרחם משחר לך טל ילדותיך רוצה לומר קודם שיבוא רחם יולדתך נתנבא ילודתך ולזה רמז לפני שמש ינין שמו כי אפילו קודם בריאת השמש היה חזק וקיים שמו של משיחנו והוא יושב בימין האל וזה הוא שאמר שב לימיני: *i.e.* Nō invenimus hominem, etiam Prophetam, cujus prophetata sit nativitas ante nativitatem Patris & matris suæ, nisi Messiam, justitiam nostram: ideò indicavit: A vulva ex aurora tibi ros nativitatis tuæ: hoc est, antequam crearetur vulva genetricis tuæ, prophetata fuit nativitas tua. Et huc pertinet illud: Ante solem propagatur nomen

ejus, quoniam antequam crearetur sol, subsistens & firmum erat nomen Messiæ nostri, fuitq; sedens ad dexteram Dei, & hoc est, quod dicit: Sede ad dexteram meam. *Quæ explicatio quamvis in omnibus approbanda non sit, luculentissimè tamen ostendit, hunc Psalmum ab antiquissimis Rabbinis de Messia expositum fuisse.*

Th. VII. Sed manus de argumento tollenda. Accingamur ad ipsum Psalmum, qui commodè in quatuor membra dispesci potest; quorum primum de persona & regno Christi. Secundum de sacerdotio; Tertium de victoria & quartum deniq; de passione & resurrectio e ejus agit.

Th. VIII. Refert autem primo versiculo David *verba Dei Patris ad filium, quibus eum ad considendum secum*
v. 1. *& conregnandum invitat:* נאם יהוה לארני. Dixit Dominus, *inquit*, Domino meo. *Per* יהוה *autem Patrem, per* ארני *verò Filium ex stylo scripturæ designat, ubi, qvùm Pater & filius ejus incarnatus simul conjunguntur, ille Deus; hic Dominus appellari solet. Quæ de consulantur loca. 1.* Cor. *8.* v. *6. 2.* Cor *1.* v. *3.* Eph. *6.* v. *23.* Col. *1.* v. *2. 1.* Thes. *1.* v. *1.*

Th. IX. Chaldæus Interpres eleganter hæc verba transtulit: אמר יי במימרה. Dixit Dominus verbo suo. *Qvid autem per voculam* מימרא *sibi velit, in proclivi non est. Multos eosq; magnæ eruditionis viros, inveniri, qui priscos illos paraphrastas Messiam intelligere adserunt, extra dubitationis aleam positum est, quæ sententia si cui arridet, ille huic ex multis adjungat locum* Es. *45.* v *17.* ישראל יתבריק במימרא דיי פורקן עלמיא: Israel redemptus est in verbo Jehovæ redemptione perpetua. *Et* Hos. *c. 1.* v *7.* ואפרקנון ועל רבית יהודה ארחם במימרא דיי אלההון: Et domui Judæ miserebor, redimamq; eos in verbo Domini Dei eorum, *Nos nostram*

jam

jam hanc controversiam facere nolumus. Consule, si lubet, concinnè de hac vocula differentem Dominum D. Gl.ſſium, *Patronum & matruelem meum Patris loco observandum.*

Th. X. Quid autem Pater Filio dixit? Hoc nempe: Sede ad dexteram meam. Ebr. שב לימיני R. Abe.- Esra *hac verba sic exponit:* הטעם לימיני כי הימין עושה חיל והנה הטעם לא תצא עמנו למלחמה כי ימין השם תלחם בעבורך והוא ישיר איוביך הרום רגליו שיבאו לפניך שתרמסם: Sensus est; quia dextera facit virtutem, & ecce sensus est: Ne egrediaris nobiscum in bellum, nam dextera Dei pugnabit pro te; ille ponet inimicos tuos scabellum pedum tuorum & illi venient ad te & conculcabis eos. *Adeundē ferè modum exponit quoq;* R. D. Kimchi שב לימיני כמו שכתוב כי אז יצא ה לפניך כלומר שב והיה בהבטחה לימיני כי תעזרך ולא אשקיט ער אשית אויביך הדום רגליך Sede ad dexteram meam; sicut scriptum est; quia tunc egredietur Dominus coram te, q.d. sede & sis in fiducia in dextera mea; quia dextera mea opem tibi feret, & non quiescam: donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum. *Sed quia hæ interpretationes fundamento de Davide suprà rejecto nituntur, meritò eas hinc exulare jubemus.*

Th. XI. Nos meliorem hujus versiculi habemus Interpretem, Divum nempè Paulum, qui hæc verba de Christo, ejusq; immensa majestate & dominio interpretatur 1. Cor. 15. v 25. Eph. 1. v. 20. Hebr. 1. v. 3. *Videtur autem similitudo desumpta â consuetudine Regum, qui ad dexteram eos, quos summô honore ornare cupiebant, collocabant Vide.* 1. Reg. 2. v. 19. *Pergit autem Vates, eodem versu & quia ex hac sessione Christi ad dexteram Patris sequitur hostium*

miseria

miseria & triumphatoris gloria, subjicit: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum *i. e. planè tibi subjecero omnes hostes, etiam ipsam mortem, nõ secus ac illa, quæ pedibus possumus conculcare: quæ itidem phrasis suos natales prisca illi consuetudini debet, quâ Victores illorum, quos devicerant, colla conculcabant, de quo apud Josuam legere est* c. 10 24. *Cedrenus in Compendio Historiarum, Michaelem Balbum de Thoma hoc pacto exegisse læsæ Majestatis pœnas scribit his verbis:* Thomam arreptum compedibus Imperatori tradiderunt. Is morem, qui jam pridem Imperatoribus placuerat, receptusq; consuetudine erat, primo omnium servans, porrectum in pavimentum jacere jussit, cervicem ejus pedibus suis conculcavit. *Sic* Sapor *Persarum Rex Imperatorem Valerianum in bello victum, vinctum circumduxit, & quoties equum conscendere vellet, ejus dorso pro scabello usus fuit.* Cœlius l. b. Antiq. *18. c. 18.*

Th. XII. Claudam hunc versum, si prius paucula de vocula עד *adjecero; De illa autem notatu dignum, quod non semper tempus præteritum determinet & futurum excludat, sed sæpius indeterminatè accipiatur, ita ut sequens tempus omne includatur: ac proinde per* semper, *vel* nunquam *oratio exponenda;* illud *in affirmativis,* hoc *in negativis prædicationibus, ut benè notat Theologus de Ecclesia meritissimus Dominus D. Glassius in Gram. Sac lib. III. tract. V. can. 12. Sensus igitur hujus propositionis talis est: Sede semper & in perpetuum ad dexteram meam, & regna etiam tempore difficillimo. Sed properãdũ ad versum secundũ.*

Th. XI. In illo autem David *velut admirabundus, qvum in spiritu videt, quomodo Christus sedens ad dexteram Patris sui, regnum suum administraturus sit, suo Regi his qs. verbis gratulatur:* מטה עזך ישלח יהוה מציון

v. 2

Scipio-

Scipionem roboris tui emittet Jehova Sione *i.e. Regnum tuum potentissimum emittet ex Judæa, ubi illud incipiet & inde in omnes terræ partes propagabitur. Vocem enim* מטה *pro* מרכות, *signum sc. pro re signata more sueto ponit. Et hæc hujus versiculi genuina & germana interpretatio est. Restat, ut brevibus etiam Judæorum sententiam videamus. Diversimodè autem voculas* מטה עזך *illi exponunt.* Rabbi Aben Esra *per* עוז *&* כוח *interpretatur & talem sensum elicit:* העוז והכח יצא מציון Robur & virtus egredietur ex Sion: *Bona quidem interpretatio, sed mala est accommodatio* R. Salomon Jarchi, *qui hunc Psalmũ de Abrahamo ut supra dictum, intelligendum asserit, eas per* משען מטה לחם *exponit; Sic autem ad hunc Psalmum annotat:* כשתשוב מן המלחמה ואנשיך עייפים ורודפים ישלח לך וי את מלכי צדק מלך שלם להוציא לחם ויין. *Sed hanc expositionem â textu alienissimam esse, nemo non videt.*

Th. XIV. Progreditur autem Vates noster eod. v. & acclamat qs. suo Regi Messiæ: רדה בקרב איביך Dominare in medio inimicorum tuorum: *Mens ipsius hæc est: Quum igitur satis habeas viriũ, O Rex Ecclesiæ, ad subjugandos tuos hostes, age, quæso, exere tuos vires, irrue in hostes tuos, strenue & fortiter in medio eorum dominare. Et ad eundem quoq; modum explicat hæc verba,* R. D. Kimchi רדה למשול בקרב איביך לא תירא מהם Dominare in medio tuorum inimicorum, ne timeas ab illis. R. Salomon: רדה במלחמה בקרב איביך לפשוח *Dominare in bello, in medio inimicorum tuorum securè & absq; omni timore.*

Th. XV. Pervenimus nunc ad enodationem versiculi tertij, in quo, antequam in genuinum ejus sensum inquiramus, tractandum veniunt. Et 1. quidem, quia verba עמך נדבת *LXX. per* μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ, *Vulgata verò per:* Tecum principium *reddunt; de germano eorum sensu In-* v 3.

terpretes in varia ſententiarum divorticula eunt. Pontificii Doctores valdè ſudant, ut oſtendant, haſce verſiones cum textu originali concordare; Et in ſpecie Bellarminus ait, verba hæc ſic exponi poſſe: Tecum eſt principium primum omnium rerum, quia tu es in Patre & Pater in te. *Sed huic expoſitioni nihil vel parum ineſſe mentis, quis non videt? Præſtet igitur Utrigꝫ verſioni patrocinium Bellarminus, quãtum velit, utramgꝫ tamen à vero Veritatis Ebræa tramite deviâſſe, Græcumgꝫ pro* עַמְּךָ populus *tuus.* עִמְּךָ Tecum *& pro* נְדִיב נְדָבוֹת *forſan legiſſe, huiusgꝫ veſtigia Vulgatum ſubſequutum, in propatulo eſt.*

Th. XVI. Optimè igitur verba עמך נדבת *exponuntur per* populum ſpontaneitatum: *Id quod calculo ſuo approbat Chaldaica paraphraſis, quæ ita reddit:* עמך רבית ישראל דמתנדבין לאוריתא ביום אנחותא קרבא *i.e.* populus tuus, domus Iſrael, qui incumbunt legi in die concertationis prælii tui. *Et eodem ferè modo exponunt Rabbini ut ex verbis R.* Aben Eſra *&* R. Kimchii *patet. Sic enim annotat ad hunc locum* Aben Eſra: והנדבו להלחם בעבורך ſponte ſe, ſcil. Iſraelitæ, pro te ad pugnandum offerent.

Th. XVII. Duobus hiſce vocabulis ſubnectuntur ſequentia: ביום חילך כזרריקדש. *Quæ verba Interpretes etiam non uno modo convertunt. LXX. reddunt ita:* ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σε ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἁγίων σε. *LXX. accedit Vulgatus ſic vertens:* In die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum. R. D. Kimchi *ad hunc modũ explanat:* ביום שעשית חיל להלחם בהם באו עמך אליך בנדבה בהדרי קדש בירושלים שהוא חדרת קדש שנקראת ארמת קדש והדרי ענין הדר ויופי והדרי לשון רבים מן הדר כי ברבים רבים הוא טובת *i.e.* In die, quo feciſti virtutes pugnando, in illo die venerunt populus tuus ad

te

te in sacrificio spontaneo in decoribus sanctitatis, nempè in Jerusalem, nam ipsa decor est sanctitatis, & dicitur terra sanctitatis & הדרי significationem decoris & elegantiæ habet, & הדרי pluralis numeri est ex הדר, quia multis modis illa est pulchra seu elegans. *Sed quia Psalmus hic, ut suprà dictum, de nullo alio, quam de Messia agit, ideò merito hanc explicationem repudiamus. Quinam autem & horum verborum, ut & totius versiculi genuinus sensus sit, paulò post dicetur.*

Th. XVIII. Quod denique III ultima hujus versiculi verba, quæ hæc: מרחם משחר לך טל ילדתך *attinet, etiam illa prima fronte aliquo modo obscura esse videntur. Rabbini, ut ex* Kimchio *patet, ita exponunt: Et* dies ille, quo tu egressus es ex utero, ille dies est tibi aurora; quare est tibi aurora? quia sicut tempore matutino nascitur ros, ita tibi tẽpore nativitatis tuæ obtigit benedictio. *Verba* Kimchi *adscribam:* יום שיצאת מרחם ונולדת אותו השחר לך היה כלו לטובתך ואותו טל ילדותך אותו הטל שירד כשנולדת לך היה מבטן יצאת למלכות ושל ברכה לך היה באותו השחר *LXX. vertunt h. m.* ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. *Vulg.* Ex utero ante Luciferum genui te; *quasi in Ebræo esset* מֵרֶחֶם מִשַּׁחַר יְלַדְתִּיךָ טַל לְךָ *vocibus duabus in exilium ire jussis. Mala utriusq; interpretatio, ut omnibus, qui fontes adire possunt, patet. Et hoc ipsum Patres, ut & Papæos ad id interpretamenti prolectavit, ut hæc verba de æterna & divina Christi generatione exposuerint, fulcra in voculis* משחר & רחם *quærentes; quarum illam intimam Dei essentiam, ex qua Christus genitus; hanc verò æternitatem Christi denotare contendunt. Per* Luciferum *autem alii solem, alii stellas, alii angelos intelligunt, quo de vide inter alios SA in h. P ſ. Sed inepta est hæc Bellarmini explicatio, quam originario textui non magis aptaveris; quàm fronti ocreas, aut tibiis galeam.*

Th. XIX. Nos cum Sixtino Amama in Antibarb. bibl. l. 3. p. 800. *ſimplicisſimum ſenſum totius verſus hunc eſſe putamus:* Populus tuus erit populus ſpontaneitatum ſ. ſummè ſpontaneus, in die exercitûs tui illo tempore, quo exercitum tuum, i.e. Apoſtolos & alios Evangelii præcones in orbem terrarum emittes, in ornatibus ſanctitatis, i.e. Vitæ ſanctitate. Ex utero auroræ tibi erit ros natorum tuorum, h.e. filii tui, credentes, tanquam ros tibi naſcentur, veluti ex aurora tanquam utero Sicut ros ex aurora, i.e. aëre matutino veluti ex utero naſcitur in guttas innumeras diſperſus, ita electi tui ex prædicatione Evangelii, maximo tibi numero naſcentur.

Th. XX. Hactenus Chriſtum Regem vidimus, nunc verò Sacerdotem & Pontificem videamus. Deſcribi-
v. 4. *tur autem ille ſeq.* v. נשבע יהוה ולא ינחם אתה כהן לעולם על דברתי מלכי צדק. *Rabbini hæc verba diverſimodè exponunt.* R. Salomon *adilla ita annotat:* ממך תצא הכהונה והמלכות Ex te, puta Abrahamo, egredietur ſacerdotiũ & Regnũ. R. Aben Eſra *vocula* כהן *exponit per* משרת *qn. ait:* כל כהן משרת וכן ובני דוד כהנים omnis Sacerdos miniſter eſt, & ſic etiam filii Davidis Sacerdotes fuerunt. *Verba* v. על דברתי מלכי צדק *hoc modo explanat:* ואתה תקח המעשר כאשר לקח מלכי צדק מאברהם: Tu accipies decimas, ſicut accepit Melchizedek ab Abrahamo. *Et addit:* ויו"ד דברתי נוסף ופירוש על דברת על מנהג Et jod דברתי paragogicum eſt, & idem eſt, ac ſecundum ordinem. *Ad eundem modum etiam exponit* R. Kimchi: אתה כהן מלך ונגיד כמו ובני דוד כהנים היו ואמר לעולם כי שאול לא היה מלך לעולם על דברתי מלכי צדק ולמה בחרתי מלך לעולם על דבר שאתה מלך צדק ויו"ד דברתי ויו"ד מלכי נוכפום *i.e.* Tues Sacerdos *i.e.* Rex & princeps, ſicut etiam filii Davidis fuerunt principes.

cipes. *Et dicit.* In æternum; quia Saul non fuit Rex in æternum secundum ordinem Melchizedek; quare autem elegi te, ut sis Rex in æternum? propterea, quia es Rex justus: *Et addit,* jod in מלכי & דברתי est paragogicum. *Idem innuit* R. Mose, *quando teste* Aben Ezra *ita ait:* בעבור שאתה מלך צדק כמו ויהי דור עושה משפט וצדק וכו *i.e.* propterea tu Rex justus eris, sicut etiam David judicium & justitiam omnibus fecit. *Sed quia hæ interpretationes fundamentis de Abrahamo & Davide suprà explosis, nituntur, merito quoq; eas rejicimus. Agit igitur David h.v. de sacerdotio Christi & ostendit, quod illud immutabile & æternum sit; quodq; Pater Christum solenni juramento Sacerdotem constituerit, ipsiq; qvasi dixerit: Tu es Sacerdos, nec mutabo tuum sacerdotium, sicut mutavi sacerdotium Aaronis, sed illud in æternum manebit. Quomodo autem Christi sacerdotium sit perpetuum, nemo melius, quàm Divus Paulus Ebr. 10. explicuit, quod evolvere potes.*

Th. XXI. Et huc usq; in eo fuit Propheta, ut probaret, quomodo Christus Rex & Propheta à Patre constitutus sit; nunc progreditur & ostendit quoq;, quomodo Regium suum officium administret. Dominus *inquit*, ad deteram tuam. *Ebr.* ארני עד ימינך. *Hic operæ pretium esse videtur, paucula de vocis* ימין Dextera *significatione prælibare. Tribuitur a. illa sæpissime* DEo *per* ανθρωποπαθειαν *& tunc 1. summam ipsius potentiam denotat. Exod. 15. v. 6. Psal. 118. v. 15. Psal 139. v. 10. Deinde denotat etiam æqualitatem dignitatis, gloriæ & potentiæ, quam significationem suprà v. 1. vidimus. Et. III. deniq; significat promtissimum Dei, quo periclitantibus succurrit, patrocinium. Unde ob diversas voculæ hujus significationes in diversas quoq;, quantum ad hunc locum, Autores abeunt sententias. Fla-* v. 5.

cius part. 1. clav. script. pag. 230. ut & quidam alii in posteriori significatu usurpant & talem sensum horum verborum faciunt: Dominus tibi pugnanti & periclitanti succurret, cæsis & oppressis tuis adversariis. *Cui sententiæ astipulatur quoq;* R. Aben Esra, *quando sic exponit:* השם עזר ימינך ומחץ ביום אפו מלכים Dominus auxiliator dexteræ tuæ conteret Reges in die iræ suæ. *Similiter quoq;* R. Salomon *exponit:* אדוני אשר היה על ימינך במלחמה Dominus, qui tibi erit â dextera tua in bello. *Et paulò post.* יהוה תמיד על ימינך להושיעך Deus semper erit ad dexteram tuam, ut te adjuvet. *Suo quisq; fruatur judicio; Nos simplicissimam & tutissimam sententiam esse opinamur, si eo modo, quo v. 1. expositum fuit, hoc quoq; loco exponatur: Dominus ille & verus Deus ad dexteram tuam exaltatus est; Ille, licet multi Reges contra ipsum conspirârint, tamen, quia à dextris Patris sedet & sic divinâ potentiâ & virtute potitur, conteret & confringet eos in die iræ suæ. Et hoc ipsum tàm certum est, ac si jam esset factum, quomodo prophetico more præteritum loco futuri ponitur.*

Th. XXI. Pergit autem Psaltes & aliis quoq; Christi
v. 6. *hostibus, præsertim capitali adversario, Diabolus qui est, exitium cõminatur.* Judicium, *inquit,* exercebit in gentes, complens corporibus sc. hinc inde campum *i e. Non secus ac victor, vindice gladio hostiles copias ad mortem mittet, ut passim in compitis prostrata cadavera jaceant. Quod autẽ hic verus & simplicissimus horũ verborũ sensus sit, egregiè confirmat Chaldæus, dùm ita vertit:* מלי ארעא גושמי רשיעין קטילין *i. e.* Implebit terram cadaveribus Impiorum, qui interfecti fuerunt. *Confirmat idem quoq;* R. D. Kimchi, *dum v. hunc his explanat verbis:* ועשה דין ומשפט בגוים ר שמקו המלחמה מלא גויות

גויות כלום פגרים מתים Vſq; adeò ſumet ſupplicium â gentibus, ut locum illum, ubi prælium eſt geſtum, totum repleverit cadaveribus; *Et rectè ait:* Corpora nihil aliud eſſe, qvam cadavera mortuorum. R. Kimchii *veſtigia ſubſequitur* R. Aben Eſra *quando ait:* כן הוא ירין בגוים אשר הוא מרא גויות שיש לו צבא רב הוא יעשה רין בגוים. *Quæ interpretationes omnes eò collineant, ut cruentam & acerbiſſimam hoſtium ſtragem deſignent. Meritò autem atro lapillo notanda Vulgata verſio, quæ hæc verba malè tranſtulit:* Implebit ruinas; *decepta vocula* πτῶμα, *qvam LXX. habent, quæ non tantum ruinam, ſed etiam id, qvod cadit, nempè cadaver, denotare ſolet.*

Th. XXIII. Quod autem attinet duo vocabula, quæ in hoc verſiculo occurrunt, רוש *nempè,* & רבה, *de iis inter ipſos Judæos, non exigua eſt differitas. Quidam, ut ex* R. Salomone *patet, reſtringunt ea ad tempora Regis Hiskiæ & ad cruentam Sennacheribis ſtragem. Per* רוש *autem Ipſum Sennacheribum: Per* ארץ רבה *verò urbem maximam, Ninivè, intelligunt. Verba Ebræa hæc ſunt:* בימי חזקיהו בנך ידין באוכלוסי סנחריב קבוץ פגרים מתים וימחץ בסנחריב שהוא ראשה של ננוה ואשור ושה ארץ רבה Rabbi Salomon *intelligit de Pharaone & huc accommodat verba, quæ leguntur* Habacuc cap. 3. v. 13. מחצת ראש מבית רשע ראש פרעה שהיה ראש ושר על ארץ גדולה Fregiſti caput è domo improbi, caput Pharaonis, qui fuit caput & princeps in terra magna. *Alii vocem* רבה *Nomen proprium & nationale eſſe filiorum Ammon aſſerunt, ut* R. D. Kimchi *teſtatur, qn. dicit:* ויש מפרשים רבה רבת בני עמון ועל אותה המדחמה אמר זה הפסוק *Sũt, qui interpretantur* רבה *civitatem filiorum Ammon, & de illo prælio, quod nempè propè illam urbem geſtum, hic verſus loquitur.*

Ad eund.

Ad eund. modum exponit quoq; R. Mose *teste* Aben Esra: רבי משה אמר כי המעם רבת פני עמון *Rabbi* Mose *dicit, quod* רבת *sit urbs filiorum Ammon.*

Th. XXIV. Sed quia omnes hæ interpretationes falso nituntur fundamento, eas meritò exulare jubemus. Clarius Ebræa exprimit Kimchius, *dum sic exponit:* מחץ על ארץ ראשים רבים וראש שם כלל ורבה גם כן כמו בסוד קדושים רבות; Conteret multa capita; Et רוש ibi est pluralis numeri: sic etiam vox רבה pluralis numeri est; sicut Psal. 89. etiam dicitur: In cœtu sanctorum multorum.

Th. XXV. Vulgata vertit hoc modo: Coquassabit capita in terra multorũ. *Chaldæus:* מחא רישי מרכיא על ארעא כגיעין לחורא Percussit capita Regum super terra multa. *Quibus interpretationibus, quia optime cum texto originario congruunt, nos quoq; subscribimus.*

Th. XXVI. Versum ultimum denig; quod attinet, & quidem priora ejus verba, מנחל ברוך ישתה, *illa â Rabbinis diversimodè exponuntur.* R. Salomon *de Nilo, fluvio Ægypti intelligit. Sic enim annotat ad h. v.* מנילוס הנהר ברוך הליכתו חיתה ארצו שותה ולא חית צריכה ומי גשמים *Alii de Jordane exponunt, & accommodant huc versiculum 25. c. 27. Esaiæ: Sicut ap. citatum R. Sal. legere est:* אשר מנחר ברוך היה שותין שנתפאר ששתו אוכלוסיו מימי הירדן שנאמר אני קרתי ושתיתי מים ואחריב R. D. Kimchius *de sanguine vulneratorum exponit.* והפיל חללים ער מפום נביא: שהלך נהל מדמם *Chaldæus reddidit h. m.* באורחא אולפן יקבל מטול *Sed nullam ex hactenus adductis textui analogam esse, inpropatulo est. Optimè g. de passione Christi, quæ aliàs ibitioni confertur, explicari potest. Vide Dn. D. Glassium Rhet. Sac. p. 257. Posteriora autẽ hujg versg verba quod cõcernit, ea sic exponit Kimchi:* עלכן כשנצח כל אויביך הרים ראש על כלם *Verum nos ut præcedentia; sic etiam ultima hæc verba de Christo intelligimus & talem facimus sensum; Propterea exaltabit ipse caput in resurrectione nempè & ascensione ad cœlos, & tanquam victor fortissimus, de omnibus suis hostibus triumphabit.*

v. 7.

FINIS.

01 A 6640

ULB Halle
003 108 309
3

Sb.

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-568866-p0019-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-568866-p0020-3

68. 69

B. V.
PHILOLOGICA

PSAL-
M IIO.

am

,& Spectatissimi Facul-
phicæ Senatûs

ESIDE

BARTHOLOMÆO
mann/

sur æ submittet

US Wolwitz/
dio-Thuringus.

ENÆ

I FREYSCHMIDII
M. DC L.